



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. VIII. 6. Verba prætextata & impudica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

omnia corporis membra ad pœnam rapuit, seipsum
fœditer expugnavit, & ruit. Hoc est oculos docere alie-
nâ formâ non lædi. Sed ab oculis ad os descendamus.

CAPUT VIII.

Sextum INCONTINENTIÆ INVITAMEN-
tum. VERBA PRÆTEXTATA
& IMPUDICA.

1. Cor. c. 15.
vers. 33.

Nolite seduci: corrumpunt mores bonos colloquia prava.
Ah, quando juvenes hac unâ peste perierunt, qui
venenum, quod fortè respuebant oculis, hausserant au-
ribus. Et uti parum interest quâ parte letalis plaga ve-
niat, si mortem inferat: ita non multum refert, per ocu-
los an per aures perdas, modò pereas. Aegyptii, Harpo-
crati facturi, clamabant: *Lingua fortuna, lingua demon.*
Ipsi & Osir. *Vita & Mors, verè in manibus linguae sunt;* & plerumque
aut Angelus aut diabolus illam insidet.

Plutarch. de
Isi. & Osir.
Prov. cap. 18.
vers. 21.

Psal. 13. v. 3.

Lingua lasciva, sepulchrum patens est guttur eorum. Mi-
ratur hic Chrysostomus, quod, cum cadavera terræ
mandentur, & ne vicino putore nos ledant, altè defo-
diantur, verba tamen putida, lasciva, obscœna toties
eruantur è pectore; & sæpe pluribus audientibus, ut
damnum latius serpat, in medium efferantur. Sepul-
chrum patens & foetens, os impurum. O mi Deus;
quantus ubique horum sepulchrorum numerus! Or-
bem, Aedifex, percutre; domorum angulos rimare,
ubique ferinè reperies procaciores linguas, quæ non
otiosa tantum, sed & foeda ac spurca infillant auribus;
ubique sibilant hi colubri, ubique sermunculi, ad quos
honestæ frons se contrahat. Hieremias jam olim que-
situs: *Attendi, ait, & auscultavi, nemo quod bonum est loqui-
tur.* Tale prorsus est nostrum hoc avum: aded ut si quis
immundissimi mundi penitus deferendi causam non
habeat aliam, hæc satis impellat ad fugam; scilicet exire
tot impudicos ac spurcos sermones. Ab urbibus jam pri-
dem exulat Verecundia verborum, quandoque vix fa-
tis tuta in religiosorum penetralibus. Quamvis in his
nunquam purem audiri talia, & non puniri. Inter pro-
fanos verò tanta verborum turpitudine, quanta libertas;
tanta obscœnitas, quanta licentia & impunitas: vix up-
piam invenias qui vel verecundo gemitu, aut severiore
aspectu flagellet has colloquiorum sordes.

§. I.

AD es. O mi Partheni, tu nunquam in novos mo-
res refinges mundum, risum ferunt & plausum,
non gemitus, nupta hæc & prætextata verba. PARTH.
Hoc est quod queror & doleo: *Lasciuntur cum malè fece-
runt, & exultant in rebus pessimis.* Augustinus in seipso suis-
que sodalibus gravissime hoc damnat; mutuis illi sese ad-
hortationibus urgebant: *Eamus, & faciamus, & pudet non
esse impudentem.*

Proverb. c. 2.
vers. 4.

Lib. 2. conf.
c. 2. & 9.

Iac. c. 3. v. 6.

Divina pagina, verborum alioqui parcissima, huic
tamen sermonis petulantiae castigandæ omnem expro-
mit facundiam: *Lingua, inquit, constituitur in membris no-
stris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativi-
tatis nostræ, inflammata à gehennâ.* Spurci sermones verè
sulphurata tædæ sunt ex inferis, quæ mentes, etiam ca-
stas & pudicas, nonnunquam provocant ad impuros
ignes. Cognata prorsus sunt, turpia dicere, & turpia fa-
cere; & propere agitur quod libenter auditur. Melleus
scriptor Bernardus: *Vix sunt, inquit, elingues & muti, sic
etiam sunt facundi & loquaces diabolus;* inter hos signifer est
lascivus demon, cuius officium est, colloquia his verbo-
rum spurciis aspergere, inverecundos sales ubique mi-
scere. Guilielmus Peraldus, vir egregie doctus & san-
ctus, Lugdunensis Antistes, hos tales sermones, diaboli

Serm. de 7.
spirit.

A sputa, rectissime vocat; nimirum suo rem titulo pro-
ponit. Omnino diabolorum vomitus, & sputa sunt, sermones,
omnes hæc verborum fœditates. Nec aliud agit impurus, sputa di-
abolus
fabulator, quàm ut os suum diabolo locet pro nido; &
quo quid boni speres, quid honesti: Verborum turpium
licentia, omnis impudentiæ nutritrix est. Neque hoc inlo-
quentis tantum perniciem vergit, sed eos etiam qui hæc
talia loquentem audiunt, aspergine lutulentâ inficit:
paulatim pudor omnis per verba discititur. *Vnus est, in-
quit Bernardus, qui loquitur, & unum duntaxat verbum
profert, & tamen illud unum verbum, uno in momento, au-
dientium, dum aures afficit, animas interficit.* Sed fortè Pe-
rardus aut Bernardus non audias, alium oppono, cui
nefas contradicere. Divinus Paulus, severè hic imperat:
Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Et ut scias
quem maxime sermonem malum nomet: *Fornicatio
& omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis,*
sicut decet sanctos, aut turpitudine, aut stultiloquium, aut surlu-
tas quæ ad rem non pertinet. *Observa, nec nominetur in vo-
bis.* Nam uti optime Tullius: Pudici, ait, etiam cum de
impudiciâ loquuntur, erubescunt, & si quidem rem
odisse debemus, ipsi etiam rei nomina nobis sunt aver-
sanda. Quod enim loquimur, non immeritò & cogita-
re, & concupiscere arguimur; & labiorum scissurâ febribus
argumentum sumunt medici: è verbis turpibus men-
tem impudicam haud vanè conjectamus. Et quamvis
omnis loquacitas pudori sit inimica, devehit enim cu-
riositatem libidinum vehiculum, ea tamen precipue est,
quam Paulus immunditiam & turpitudinem vocat: si-
mulque rogans: *Et nolite, inquit, contristare Spiritum san-
ctum Dei.* Obscœni oris homo tam est odio Superis, ut
vel ipsum lætitiæ auctorem Deum, afficeret tristitiâ; si
eâ Deus posset affici.

§. II.

CAlvinianam illam pietatem meritò detestamur
que sacros calices in profana pocula liquat, & quæ
impudicis ex Ovidianâ metamorphosi fabellis insignit.
Et putes tu, mi Aedifex, Deo probari si quis ore suo,
per quod dominicus Angelorum panis toties inferitur,
petulanter abutatur ad narrationes, jocos, cantiones
Veneræ, & animi sui vestibulum, quo divina Eucharis-
tia excipitur, in lupanar mutet & prostibulum diaboli.
Fœdum piaculum: linguam celestis epuli sedem, Vene-
ris facere interpretem. *Propter hæc venit ira Dei.* Et serm-
nimis est in flammis clamare, ut refrigeret linguam meam.
Neque tantum cruciatur lingua, quod nimium edulio-
rum admiserit edendo, sed quod nimium verborum
profuderit garrindo: nam prima, inquit Gregorius,
male convivantibus famulatur culpa loquacitatis, & plerum-
que parum castæ.

Petrus Damianus tam sanctus quàm facundus, lin-
guam lascivam eleganter turdo confert, cui idem quod
alimento, hoc etiam exitio est: nam ex eo quod edit &
Degerit, viscus provenit, quo & ipse & aves ceteræ ca-
piuntur: ita prorsus impudicè garrulus viscum excernit
ore, quo eum stigmæ aucupes affligant. *Condemnavit te os
tuum, inquit Jobus, & labia tua respondebunt tibi.* Plinius
sterile fecere affirmat oleam, si eam capre lingua tondcat,
aut lambat tantum. Sanè si solidus caper talis, illoti oris
homo, colloquiis interveniat, juvenum animos velut
adolescentes oleas facillimè ita corrumpit, ut, quod se-
mel malè audierunt, ejus per omnem vitam pessimè re-
cordentur: quod libenter auditur, celerimè excipitur,
eoque gravius nocet, quod suavius instillatur; & quamvis
non statim officiat, semina tamen in animo relinquit,
sequiturque auditorem resurrectorum postea malum.

Bernardinus gente nobilis, patriâ Senensis, tam vere-
cundus à puero fuit, ut quoties sordidum ejusmodi
verbum audisset, non aliter colorem duceret, quàm si
quis ei vultum colapho percutisset. Unde coævi pueri,
si quando

si quando sordidè locuti, viso eo : tacete, dicebant, ta-
ceat; Bernardinus venit. Utinam, ò utinam plures hoc
avo Bernardini sint, qui acetum porrigant, ore tam il-
loto garrientibus. Sed, quod miris, etiam inter idolo-
latras hoc acetum venale fuit. Epictetus : Periculosum
est, inquit, ad oris obscenitatem progredi. Cum igitur tale
quippiam incidit, objurgabis eum qui talem sermo-
nem iniecerit; aut taciturnitate saltem; & rubore vultu-
que ostendes, eam tibi orationem displicuisse.

Nil dictu fudum visque hac limina tangat;
Intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puella
Lenonum, & cantus pernoctantis parasitii.

Et verissimè Plautus : Ego, inquit, illum perisse da-
co, cui perit pudor. Ergone, ò bone Jesu, ò judex or-
bis, etiam ab idololatriis apud tribunal tuum damnabi-
mur! ergo etiam hostes tui sententiam in nos dicent?
perimus, nisi nos vel hinc etiam perire sentiamus. Vici-
num est exitium, ni illud caveamus omni verborum
circumscriptione.

§. III.

DES. Partheni, rigidus censor es in has protervio-
res linguas & nefas per te liberiores facietas sere-
re. PARTH. Non per me, sed per Christianam legem,
& quasi verò facetus esse nemo possit, nisi & lascivus
sit: lape, dum facietas aut urbanitatem affectamus,
modestiam exuimus. At, ea demum jucunda nobis sint,
quæ honesta. Sed multi, ut flagitium honesto nomine
pretextant, istam oris spurcitiem, aulicam comitatem
appellant. Hoc est bis peccare, peccatum virtutis titulo
vendere. Paulinum, imò divinum tibi edictum iterum
ocento : Profana autem & inani loquua devota, multum
enim proficiunt ad impietatem. Neque in hoc hæretico-
rum fucis & fallaciis, verborum spurcitiis multum
impar est. Sermo eorum ut cancer serpit. Cancer, seu,
gangræna, horribilis & edax morbus, vivas carnes fœdè
depascitur: ita prorsus petulantiores hæc narratiuncula,
fabula, cantiuncula nimirum quantum serpunt, &
quidquid casti pudoris reperiunt, viciant. Abominaciones
Domini, cogitationes male, & purus sermo pulcherrimus. Qui
loquitur iniqua, non potest latere, nec prateriet illum corri-
piens judicium. Non abscondit se ab eo omnis sermo.

Refert Surius, Wallericum Abbatem iter fecisse
hieme, & frigoris sævitie compulsus, è viâ divertisse in
aedes hominis quem minimè profanum credebant. Sed
hic multo acerbior frigus virum optimum excepit, ubi
nec scintillam divini amoris reperit. Paterfamilias &
loci judex, non in otiosis tantum, sed & obscænos ser-
mones erumpere cœperunt. Hic Wallericus: utique,
ait, Evangelii legem meministis; quoniam omne verbum
otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem
in die judicii. At effrontes illi monitorem cachinno elu-
dere, audacius loqui & fœdiora etiam effutire. Cum
iterum Wallericus: Volebam, inquit, caloris hic aliquid
haurire corpori fovendo, sed linguæ vestræ gravius adu-
runt quam ullum frigus; expellor, vos videritis, qui hanc
oris impuritatem ad Dei tribunal purgeris. At illi, Iret
modò bonis avibus, ut qui etiam invocatus venisset;
nec ullus nostrum, inquit alter, penulam tibi scinderet ut
maneat, abi licet, abi. Sed & abeuntem dicteris impu-
ris impetebant. Non distulit ultor Deus, & obscænam
linguæ petulantiam vindictâ manifestari castigavit: il-
lum quidem cecitas, hunc inguinaria lues invaluit; urge-
bant miseri, & jam revocatum volebant, quem linguis
ejecerant: frustra. Hunc fœda corporis putredo citò ex-
tinxit, ille diutius vixit, sed productiore supplicio cæcus.

§. IV.

Non immeritò Rodolphus Episcopus Eugubinus,
vir sanctissimus, fratrem suum natu juniorem, Pe-
trum, flagellari, & quadraginta diebus omni vino ab-

Astinere jussit, quòd in familiari colloquio verbum lascivius protulisset. Elzearius Comes Ariani dynasta inter-
gerimus, has aulae suae leges condidit.

1. Diebus singulis rei divinæ interesse.
2. Singulis hebdomadibus de peccatis confiteri.
3. Singulis mensibus divinam mensam accumbere.
4. Aut castè vivere, aut domo cedere.
5. Nò tesseri ludere, nec alio simili lusu se oblectare.
6. Juramenti, verbiq; inhonestæ ac turpibus pe-
nitius abstinere.

O præclara leges & dignæ quæ ad omnium ædium
valvas figantur, unde & juvenes senesque discant, &
magis sapere, & cautiùs loqui. Mature igitur, animum
& os ad omnem verecundiam is componat, cui curæ
est Castitatis eminentissima nobilitas. ADES. Sed quid
in mensâ, in conviviis, in circulis, in plurium consessu
faciendum, cum hæc verborum sordes plenis faucibus
sparguntur? PARTHENIVS. Nosti quid suadeat

B Siracides? Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli au-
dire. Claudendæ sunt aures impuris vocibus, & quidem
primis. Nam cum initium fecerunt admittæque sunt,
plus audent. Qui sermones spurcos non invitis auribus
admittunt, ii castaneis similes sunt, sed in ignem conje-
ctis & violatis, quæ veste jam scissâ non se produnt, non
crepant, non subsiliunt, quod tamen faciunt integræ, &
quarum tunica nondum rupta est. Ita prorsus ii quos li-
bidinis ignis jam adussit, cum lasciva audiunt, nihil ob-
strepunt, non reprehendunt, tacent, subrident, nec
frontem contrahunt, & quàm hæc talia sibi non displi-
ceant, improbo silentio satis ostendunt. His longè de-
teriores sunt, qui spurcè loquentem non tantum beni-
gnè audiunt, sed & juvant, atque de suo addunt, fa-
ciuntque huic vesti propudiosam laciniam. Diogenes
observans duos è scholasticis in viâ sermonem & capita
conferentes, interrogavit alterum, in quod colloquium
cum altero venisset, cum is quid sibi narratum esset, ex-
poneret, utrique plagas infligi jussit, alteri quod tale
quid narrasset, alteri quod audisset. Rectè factum. Nec
Christianis hoc ignarum, quandoque tam graviter de-
linquere audientem quàm recensentem. Et quod de ob-
trectationis vitio, hoc etiam de impuro sermone verè
dicitur: diabolum æquè in obtrectatoris ore, quàm in
auditoris aure defultare: idem hic, & dicere talia, &
audire, piaculum est.

O Clitomache! O nobilis athleta ubi es, qui si quis
sermones iniecisset amatorios, surgere solebas & absc-
dere? Ita, si quis importunior prætextata verba jaciât,
repercutias illum fervore ut minimè vultu, aut cum
Clitomacho subtrahas te ab ore impuro, si quidem ca-
rere velis hac aurium maculâ. In perpetuâ apud te sta-
tione rubor excubet, verecundiæ signum, Castimoniam
præambula certaque testatio: ostende saltem & tibi dis-
plicere, quod Deo nunquam placere potest. Paulum
tibi denuo huc sisto: Nunc autem, inquit, deponite & Coloss. c. 3.
vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, &
turpem sermonem de ore vestro. Extremum hoc commen-
dat, ut altius infingat. Mirum? erupturam tussim com-
priminus, & fœdissimam hanc salivam vi erumpimus,
eâque omnium aures conspuimus. A. Sime, sicut cen-
sorius Dei oculus ubique nobis observandus, ita censo-
riæ Dei aures nunquam non metuendæ: sic loquamur,
ut sermo noster, si non eloquentiâ, saltem pretiosus sit
verecundiâ.

CAPUT IX.

Septimum INCONTINENTIÆ in-
vitamentum. MALI SOCII.

Vti speculum, etiam terribissimum maculam trahit
ab anhelitu: sic homo cetera optimus & castissi-
mus, sum;

Ec 4